

§. 83.

Cum itaque probaverimus, quod Sapiencia Dei Infinita postulaverit, ut Deus hominem primævum crearet ad sui Imaginem, qua scilicet homo primævus aptissimum redderetur Deum glorificandi Instrumentum; putamus etiam, nos nostro satisfecisse proposito & instituto, quod exigebat evincere, & demonstrare Imaginis Dei in homine primævo convenientiam cum fine, ad quem Divina Voluntas hominem esse voluerat. Si vero adhuc sit desiderandum aliquid, monere tandem volumus, nos omnino studuisse brevitati, ne nimis excrescat opus supra limites dissertationis. Tandem vero Deum precamur Optimum Maximum, ut, quemadmodum ex infinita Bonitate Protoplastos exornavit perfectionibus ineffabilibus & beneficiis valde magnis, quibus haud abusi æternam obtinuissent felicitatem, ita etiam in nobis miseris, qui illas perfectiones pæne omnes amisimus in Adamo, & hinc mortui jacemus in abysso peccatorum, ex infinita sua misericordia velit restaurare pretiosissimum illud, cujus primi nostri parentes jacturam fecerunt nunquam satis deplorandam, quo ita Imagine præditi Divina iterum comparere possimus Sancti coram Tribunali Omnipotentis nostri Creatoris, cum spe omnium certissima, æternam felicitate, in communionem Domini Nostri Iesu Christi, fruendi consummatissima.

